

firmantis cum formidine erroris, seu iudicium incertum. Primam formam ksanka voluerut esse ipsam formam conditionalem verbi, inserto praefixo *akan*; secunda forma est quaelibet forma verbalis producta seu affirmativa modi indicativi, inserto praefixo *lin*. Utrumque praefixum inseritur in verbo ante praefixa declinationis, quae tempus significant.

Prima forma dubitativa ksanka aequivalet verbo latino coniuncto cum particula *utrum* vel *num* vel *an*, sed citra interrogationem. Ukaupgani n-akan-tsinam nasukwin, *nescio utrum abierit dux*. Illud autem quod respondet latino *an non* vel *neque*, est *la waha*; ukaupgani nakantsinam la waha, *nescio utrum abierit an non*. Particula *la* praeterquamquod significat *iterum, amplius*, significat etiam *vel, aut, an*, etc. e. g. kalla kisinlin nasukwin na ukwi la na ukwi, *quisquam est ille qui est dux hic unus an hic alius?*

Quod attinet ad particulam dubitativam *akan*, nequit dici eam aequivalere particulae latinae *utrum*, potius dicendum est eam aequivalere adverbio *forte*. Etenim *utrum* aequivalet latino *si forte*, atqui particula conditionalis *si* inclusa est in ipsa forma verbali ksanka; ergo restat ut particula *forte* sit illa quae aequivalet particulae *akan*.

In lingua latina forma verbalis dubitativa, quae effertur per particulam *utrum*, refertur ad aliud verbum, quod est e. g. *nescio, dubito, quaero*; etc. Attamen aliter res se habet in lingua ksanka, ubi forma dubitativa conditionalis proferri potest nullo alio verbo addito. Si enim quaeras e. g. k'kausaka nasukwin? *est ne domi dux?* aliquis respondebit: *nakantsinam*, loco dicendi *ukaupgani nakantsinam*; vel respondebit *nakanlalak'kats*, *nakankausaka, utrum, foras discurrat, utrum domi maneat*. In quibus locutionibus, secundum concipiendi modum latinorum, deberet subintelligi aliquod verbum e. g. *nescio*, vel *dubito* vel quid simile. Verum ksanka nil subintelligunt, sed istiusmodi locutionibus conditionalibus solummodo solent exprimere statum mentis sciae dubitantis, perinde ac si sub oculis ponerent suum animum inter duo veluti libratum.

Si dubium versatur circa rem futuram, usurpanda est forma conditionalis futuri temporis: e. g. unakan-tsgal-ai, *utrum sim furaturus*; unakantsgalai, *la waha, si forte furaturus sim an non*: ex verbo un-ai-ni, *furor*.